

12
714.
15

NOBILES NOVOS

IN JVSTO DESPICATVI
HABITOS;

Die unrechtmäsig-verachteten
Neuen Adel-Leute

CONSENSV ILLVSTRIS FACVLTATIS
JVRIDICÆ

In Academiâ Jenensi,

PRÆSIDE

JO. PHILIPPO Greiber / J. U. D.
& Fac. Phil. Adj.

publicè defendet

JO. HENRICVS Grams / Eisenberg.

Phil. & Jur. Stûd.

IN AVDITORIO JCTORVM,
AD D. XVIII. FEBR. M. DCCII.

J E N Æ,
Typis JO. ADOLPHI MVLLERI.



NOBLESSES

IN VASO DESCRITTI
HISTORIE

Digitized by srujanika@gmail.com

卷之三

卷之三

CONSERVA PETRAEUS FONATIUS
a M. C.

卷之三

WENDT, GENEVA, III.
301 KELLY

卷之三

IBA 5 May 8

ज्ञानात्मक विद्या

Digitized by srujanika@gmail.com

卷之三十一

AD DICTAM S. CIRIACI

卷之三

卷之三

卷之三十一

Digitized by srujanika@gmail.com

<http://www.sciencedirect.com>

PROLVSI.



Vnde nos redivivus jam salutaret
Nobilium & aliorum non-nobi-
lium Stipes communis, ADAMVS,
certe ipse omnem Nobilitatem,
etiam illam, quæ ex pluribus se-
culis suum traxit nitorem, esset
reputatus ut novam, i.e. mora-
libus sua ætatis qualitatibus novi-
orem. Sicut enim Nobilitatem cum aliis dignitatibus,
ADAMI ævo, & nondum exorta ulla Politia, defecisse,
manifestum est; ita eandem dignitatem Rebus publicis
connatam, & cum crescentibus illis majora incrementa
sumisse, neminem credimus dissessurum. Præprimis
autem negantes non deprehendemus Germanos, quo-
rum hi rythmi abiere in proverbium:

Dg Adam hæft und Eva spann!

Wo war denn da der Edeimann?

Quæ rythmorum biga, quamvis eatenus incerti aliquid ar-
guat, quatenus in ipsa Adamus dicitur operatus ligone, tan-
quam tali instrumento incisorio, ejus maxime-necessaria
pars ab arte ferrum fabricandi dependet, quæ Ars & notitia,
an Adamo post Lapsum convenierit, ex Scripturis profe-
cto non constat; quamvis præterea prior illorum ryth-
morum isthoc incerti involvat, quod Artis, linum tra-
ctandi & filum trahendi, EVA inibi post lapsum asseritur
fuisse perita; tamen idem Proverbium rythmicum ea-
tenus sua radiat veritate, quatenus ipsum inculcat: Pri-
mis Protoplastorum temporibus nondum viguisse No-

viorem illam Nobilium conditionem. Cum autem novior
hæc Dignitas nostris Temporibus possit ut NOVA attendi
vel honorifice, (seu saltim ut nova respectu ævi Adamici)
vel cum ludificatione ; [novos Nobiles pro minus - No-
bilibus habendo] querere licebit : An Novi Nobiles justè
babeantur despiciatur ? Cui quæstioni quandoquidem ne-
gativa reponenda venit sententia , hujus ipsius eruemus

{ 1. Sensus ; formando Statum controversiæ , indican-
do scilicet

{ 1. Quis non sit ejus sensus ?
2. Quis ejus sensus sit ?

{ 2. Veritatem ; quam indagabimus

{ 1. Positive ; tumque

{ 1. Præmittentur causæ propter quas non con-
temnendi sunt Nobiles Novi ; illæque de-
sumitæ sunt

{ 1. Ab Identitate fundamenti utriusque
Nobilitatis.
2. A simili quodam , nempe : Novitis
Academicis.

{ 2. Sequentur causæ propter quas contemnuntur
Nobiles Novi ; illæq; causæ sunt vel

{ 1. Communæ utriusque Nobilitatis de-
spicatur ; ut :
{ 1. Indignitas.
2. Inopia facultatum.

{ 2. Propria despiciatur Nova Nobilitatis ,
ut : Invidia quorundam Veterum No-
bilium , qua conditio Novæ Nobilita-
tis invidetur.
{ 2. Polemice ; Antitheses explodendo.

§. I.



§. I.



Egativum hoc Lemma: *Nobiles novi injuste habentur despiciuntur, nolumus ita intelligi: Nobilitas Nobilium novorum, quatenus sunt novi, non existimanda est minus splendida, aut minorem licentiam importans, quam vetusta Nobilitatis dignitas.* Non, inquam, modo dictum, sed sequentem nostro Thematii negativo assignamus sensum: *Nobiles novi, neque quatenus sunt Nobiles, neque, quatenus sunt novi, habendi sunt pro Minus-Nobilibus, aut ferme pro nullis, ita, ut eorum Nobilitatem, quatenus est Nobilitas, propter novitatem nolimus tantam existimare, quanta est Veterum Nobilium Nobilitas.*

§. II.

Quod autem Nobilibus Novis, quatenus sunt Nobiles, neque talis existimatio debeatur, qualis Veteribus, adeoque ipsi neque, ut sunt Nobiles, neque ut sunt Novi, habendi sint pro Minus-Nobilibus, aut despiciendi, PRIMO exinde patet: Quia Nobilitatis causa & fundamen- tum utriusque eadem.

V. 2

A. 3

§. III.

§. III.

Causa & fundamentum utriusque Nobilitatis, quæ dignis conferetur, scilicet tam novæ, quam veteræ, est Virtus socialis, quæ conservando statui Rei Civilis conducit, & à Publico agnita est; uno verbo: Meritum. Nobilitas enim est præmium æquivalens ad facta antegressa, & quidem morale præmium, quod non rem aliquam, sed Honorem, & aliquam supra communem sortem eminentiam personæ addit ita, ut collator ejus publicum eximia ~~fit~~, inde accendentis opera testimonium perhibeat, atque, quanti nobilitandum aestimer, nobilitando declarat. Vid. Beccan. Notitiam dignit. Illustr. dissert. XI. Cap. II. §. III. IV. & X. Cum itaque Virtus utriusque Nobilitatis causa sit, adeoque tam Veteris, quam Novæ nobilitatis unum sit fundamentum, ideoque utriusque nobilitatis, quatenus est nobilitas, jure meritoque eadem est existimatio.

§. IV.

Propositio nostra Principalis SECUND O etiam per hoc confirmatur: Quod illi, qui Nobiles novos vilipendunt, parile quid committant, ac Academicis Veterani, qui Novellos Academicos VULPIVM charactere excruciant; cum tamen etiam Veterani Studiosi antebac VULPIVM locum caleficerint. Quoniam itaque quosque Veteranos Nobiles etiam aliquando Novos fuisse oportuit, & Novi Nobiles æque fundatores aviti stemmatis olim esse poterunt, ac illi fuere, qui stemma suum in nostra tempora produxerunt; certe novi Nobiles, quatenus sunt Nobiles, immerito aspernuntur ab iis, qui antiqua Geberis Nobilitate splendent. Conf. Beccan. loc. cit. §. X.

§. V.

§. V.

Ostensis jam iis causis, propter quas Novi Nobiles contemendi non sunt, recensebimus causas, propter quas parvi penduntur. Illarum autem despiciatis causarum aliae sunt communes despiciatui utriusque Nobilitatis; alia est propria despiciatui Novorum Nobilium; hoc est: aliae cause contentus ita comparatae sunt, ut possint tam Novo, quam atavis Nobilibus edito Nobili contentum conciliare; alia e contrario est ita comparata, ut tantum novae Nobilitatis contentus inde enscatur.

§. VI.

Communes cause, quae Novam Nobilitatem redundent contentam, sunt in aliquibus v.g. *Indignitas*, quae scilicet aliqui novi nobiles dignitatem Nobilitatis interdum non merentur; in aliis *Inopia opum*.

§. VII.

Quod ad Indignitatem spectat, certe, indigno Nobili collatam Nobilitatis dignitatem, esse contentui expositam, nemo dubitat. Quandoquidem dubitari nequit: Nobilitatis collationem abusus suos passam, & a liis vel ob levissima, vel plane nulla merita, NOBILITATEM collatam esse, vel conferri. Ideo queritur Peter Bellin. de re milit. p. VII. Tit. III. n. XLI. Salis venditores medianibus viginti quinque, vel circiter, aureis nummis impetrare NOBILITATIS honorem. Et Tercellinus Rupimanius Eques apud Thuan. Lib. XVI. His por. in militarem Galliae torquem erumpit, Torquem conchyliatum, postquam indignis promiscue communiciari coepit, non esse jam fortium virorum insigne, sed omnium bestiarum collare. Sic aliquid quidem merita fuit,

fuit, levius tamen tanta dignitate, quod Selimus II. Gentilem Bellinum, ob excellentem in arte pingendi peritiam Constantinopolin evocatum, in equestrem ordinem cooptavit. Similiter Serenissimæ Reginæ Christi-
nae exprobatur exemplum Sartoris nobilitati, qui Guldenscher appellatus sit. *Burgold. ad Instr. Pac. I. XV.*
membr. II. vid. Beaman. l.c. §. VII.

§. IX.

Quod Inopiam opum concernit, eam posse con-
temptum novæ nobilitati parare, inde pater, quod Nobili-
tatis honore nitatur, qui in accipiente est argumentum
potentiaz, veluti honorabilis est possessio, actio, vel qualita-
tas quæcunque, si argumentum sit potentiaz: Contra-
contemptibilis qualiscunque potentiaz privatio. Itaque,
ut NOBILI BENE SIT, divitem esse oportet. Divitiæ enim sunt honorabiles, quia sunt signum potentiaz.
Contra contemptibilis est si opibus careat; neque enim
posse aliquid tunc præsumitur. Deinde, ut idem virtutis
sua eminentiam testararo faciat, Fortitudinem, Magna-
nimitatem, fiduciam exercere requiritur; quod fieri
nequit, dum diyes non est: Virtutes hæ enim oriuntur
a potentiaz conscientia. Similiter, si honorabilis sit,
amabitur a multis; hæ enim itidem sunt signa poten-
tiaz. Sed pauperem nemo respicit. E. Atque hoc fine
quoque Feuda Nobilibus olim collata fuerunt, ut esset
ipsis, unde Vitam splendore suo dignam exhibere pos-
sent. Vnde & nomina Landfassiorum, Landsassen/ &
variantibus deinde circumstantiis, Amtssassen/Schriftsassener
enata. De quibus vide plur. *Burgold. d.l. p. XXIII. III.*
Confer. Beaman. loc. cit. §. XI.

§. IX.

718.

§. IX.

Causa, quæ despiciunt Novæ Nobilitatis peculia-
ris est, & propria, est invidia quorundam antiqua Nobili-
tate conspicuorum, qua conditio novæ nobilitatis invi-
detur. Ratio autem, cur Nobilitatis dignitas Novis à Vete-
ribus aliquando invideatur, in communi hominum vicio
sitavidetur, qui res suas deprimi putant, dum alios assur-
gere vident; plane ad modum deceptionis visus, cum res
retrocedere videntur, aliis se promoventibus. Verulam.

S.F. n. IX.

§. X.

Veritas primaria nostri Thematiss hactenus quidem
positive, & pacifice indagata est per demonstrationes;
nondum tamen satis eam esse erutam arbitramur, nisi
etiam averruncaverimus objectiones Thesen impugnan-
tes, & nisi ipsam confirmaverimus contentiose. Ea ita-
que, quæ ipsis obstant, proponemus & refutabimus eo
antithesium ordine, qui præcedentium respondet ordinu-
m Sphorum.

§. XI.

Objectio itaque Prima erit; quæ adversatur Spho-
Imo, & sequens est: *Venerationem certe habet, videre*
castellum aut edificium, antiquum, quod nulla ruina in-
vasit, aut etiam annosam proceram arborem solidam &
integrā. Quanto plus igitur erit, insueri antiquam
nobilem profapiam, à fluctibus & procellis temporis illa-
sam? Et certe, si Nobilitas nova potentia publica opus est,
antiqua, potentia hujus & temporis simul, filia erit. Ve-
rulam. Serm. Fid. n. XIV. Adbac, si Nobilitas ideo per-
petua est, ut opere Publico navata memoria in posteris
conservetur, jam illam operam, que ante aliquot secula posita
fuit, tanto illustriorem fuisse, presumto est, utpote per quam
ea Republice firmitas adjecta fuit, ut in presens usq. durare

B

potue-

potuerit; Aut, si tanti est: Viri de Republicâ bene meriti effigiem venerari, quidni eundem in posteris, tanquam viva ejus imagine veneremur? Hinc etiam factum, ut NOBILES Titulum GENEROSI acceptaverint, quod propriè tales dent, qui genere eminent, licet nunc uniuscujusque Virtutis gradus eminentior eo significetur. vid. Becm. l.c. §. IX. Unde patet, quod antiqua Nobilitas, quando per plura secula claruit, multò clarior, illustrior atq. splendidior sit, quam nova, & per conspiciens etiam multo venerabilior, quam nova, ut adeò novis Novilibus justè minor existimatio appendatur, quam Veteri genere claris.

§. XII.

Hanc objectionem ita diluimus: Per hoc, quod antiqua nobilitas multò clarior, & propterea multò venerabilior sit quam nova, & hinc etiam Novis Nobilibus justè minor existimatio appendatur, quam Veteribus; per hoc, inquam, saltim probatur: 1) quod antiquo genere clari Nobiles, quatenus sunt Veteres, majore existimatione afficiendi sint quam Novi; & 2) quod novi Nobiles, quatenus sunt Novi, justè tanti non habeantur, quam habentur Veteres. Per illam tamen non probatur: 1) quod Veteres Nobiles, quatenus sunt Nobiles, sint magis Nobiles quam Novi, nec 2) quod novi Nobiles, quatenus sunt Nobiles, sint minus Nobiles quam Veteres, quodve eorum Nobilitas, quatenus est Nobilitas, justè non tanta existimetur, quanta est Veterum Nobilitas, multo minus 3) quod Novi Nobiles justè despiciuntur habentur. Aliud enim est: novorum Nobilitatem ludificare & contentui habere, seu: Nobiles novos, quatenus sunt Nobiles, pro minus Nobilibus habere; aut: Nobiles novos, quatenus sunt Novi, pro minus nobilibus reputare, & aliud est: Nobiles

libus novis, quatenus sunt novi, non minorem attribuendam esse existimationem, quoad splendorem Nobilitatis, quam Veteribus. Nos profecto non contendimus: quod Nobilitas nova, quatenus est Nova, omnimodo ita assimilis sit quemadmodum antiqua; seu, quod Nobilibus Novis, quatenus sunt Novi, non minor debeatur existimatio quoad splendorem Nobilitatis, quam Veteribus; sed hoc contendimus: 1) quod Nobilitas nova, quatenus est Nobilitas, & qualecum Veteri mereatur existimationem, ipsaq; neq; quatenus est nobilitas, neq; quatenus est nova, sit minor Nobilitas quam Veterum; seu: quod Nobiles Novi, neq; quatenus sunt Nobiles, neq; quatenus sunt Novi, sint habendi pro minus-Nobilibus. Et hæc mentis nostræ explicatio statim ex prieo Spfo cognosci potuit. Quare objectio §. præced. proposita nobis non contradicit legitimate. Nos enim in Veteribus Nobilibus, quia diutius & in pluribus personis hoc honore potiti fuerunt, plus splendoris, rem vero in utrisque eandem agnoscimus. vid. Beccman. d. l. §. X.

§. XIII.

Ad secundam nos accingimus objectionem, quæ eidem Spfo I. obesse viderur; nempe ad hanc: Variis exemplis notum est, honores & officia sublimioris nota solis antiquis Nobilibus destinari: Veluti olim ad Torneamenta non admittiebantur, nisi qui Nobilitatem suam ex quatuor avis paternis & maternis probare possent. Teyerabend im Thurnierbuch / Tit. von Verkündigung aller Thurnier Freyheit ic. Vertrag und Ordnung über dem Thurnier von der Ritterschafft der vier Lande/ §. I. welche von ihren vier Ahnen nicht Edel/ noch auch von ihren Stämmen nicht Thurnier-gemäß geböhren sind/ daß man der keinen Thei-

len noch zulassen soll. In Silesia jus & judicium equestre requirit, daß ein Edelman vierschuldig und von Väterlichen und Mütterlichen Ahnen gebohren sei. Quod citat ex Wenzky in Tr. von dem Schlesischen Ritter-Recht und Ehren-Gericht p. 39. 40. Nolden. c. VII. n. LXII. In Gallia in promotione Equitum S. Spiritus praeipuum est, ut inquiratur in decessores Candidati, in familia nomen & Stemma, quale olim fuit, quale in praesens: Et, si vixere NOBILITER Pater, Avus, & Abavus, pro idoneo habetur. Gramond. L. V. p. 271. Et inter Constitutiones Equitum Aurei Velleris, Conslt. I. est, ut Commititones sint Nomine & armis sine macula nobiles, Quod explicant: Eum Nomine & armis Nobilem esse, qui proprii Cognominis Tesseram gentilitiam gestat, & eo sanguine genitus est, cuius idem Insigne & nomen propria sunt. Oliver. de marca de Act. Herold. & ex eo Jul. Giflet. Breviar. Histor. ord. Aur. Vell. c. IX. In Hispania etiam, ut alicui fortalitium commendari possit, requiritur Nobilitas ab utrog. parente. Job. Arz. ab Olator. in Summ. Nobil. Hisp. Et communiter in Ecclesiis cathedralibus avita Nobilitate instructos esse oportet, qui extantiori beneficio istuc frui cupiunt, Vid. Fritz. de Nobilib. n. XX. vid. Becm. l. c. §. IX. Ex his certè manifestum est, quod Novi Nobiles de jure, ideoque justè, minoris pendantur quam Veteres.

§. XIV.

Hæc Antithesis iterum nihil probat, nisi, quod No**2**obilis Novis, quatenus sunt Novi, non tanta attribuatur licentia, & (ex antiquo splendore nascens) existimatio, quanta Veteribus. Ast hoc nunquam negavimus. Nam supra §. I. expresse Thesin nostram, statum controversie fermantes, non ita voluimus intellectam: Nobilibus novis,

142

720.

quatenus sunt novi, non minor attribuenda est estimatio
& licentia, quam Veteribus. Ideoque, jam disculsum dubium,
iterum non est legitime contradictorium.

§. XV.

Quodsi autem instes: Privilegia Nobilium antiquorum modo recitata innunt: quod Nobilitas antiqua majoribus gaudeat effectibus & Nobilitatis Privilegiis, quam nova; ubi autem major effectus, ibi major causa. Qualis enim causa, talis effectus; & cum Nobilitas antiqua hec sit causa illorum Privilegiorum, ideo eam majorem Nobilitatem, quam novam esse necesse est; ut hinc Nobiles Novi sint minus nobiles quam antiqui. Respondemus: Negando, quod ante-recensita privilegia antiquorum Nobilium sint privilegia & effectus Nobilitatis antiquæ, quatenus ea est Nobilitas; seu: Privilegia Nobilitatis simpliciter spectatæ. Si enim illi effectus essent effectus antiquæ, ut est Nobilitas, certe hi Effectus omni Nobilitati, etiam novæ, convenirent. Nam, à tñ quatenus, ad omne, V. C. Restat igitur, ut illa privilegia Nobilitatis antiquæ, sint ejus Privilegia quatenus est antiqua; adeoq; non Nobilitatis, sed antiquitatis Privilegia. Ast Privilegia, quæ competit aliui dignitati, postquam hæc diu est possessa, & ut est antiqua, non faciunt eam majorem, quam illam, quæ specie eadem noviter collata est. V.g. si quis sit olim Doctor creatus, ille quidem gaudet prærogatiya aliqua, jure & privilegio præcedendi Novellum doctorem, propter diutius posse fam suam dignitatem: tamen privilegium præundi, quod Doctori Veterano competit ut Veterano, non est Privilegium Doctorale, sed antiquitatis, idq; non facit eum magis doctorem quam novellus est, cum neuter, ut est Doctor, majoribus aut augustioribus donatus sit Privilegiis

B 3

docto-

doctoralibus. Ita, si quis antiqua nobilitatis dignitate coruscet, is quidem gaudere potest supra nominatis Privilegiis, & aliqua prærogativa ipsi, ut est *Vetus Nobilis*, competente, quæ tamen ipsum non faciunt magis nobilem; cum neuter nobilis, scilicet, neq; *Veteranus*, neq; *Novellus*, ut est *Nobilis* ejusdem Classis, augustioribus sit prædictus Privilegiis. Imo prædictorum privilegiorum rationem non in sola antiquitate statim esse remur; sed etiam in eo, quod præsumtio non minorem Publico operam ac fidem à Generoso ejusmodi præstitym iri, quam, quæ in majoribus ejus olim eluxerat. *Confer.* Nalden. c. XV. n. CLV. vid. Bezman. l. c. §. IX.

§. XVI.

In contradicentibus Autoribus præterea reperiuntur, eidem ſpho Imo adverſantes Antithefes: *Tertia* & *Quarta*, nempe hæ: III) *Novi Nobiles non tam Nobiles*, quam Nobilitatis principium esse, quemadmodum unitas non fit numerus, sed numeri principium. Et IV) Nobilitatem in Nobilitato incipere, in Filiis pubescere, in Nepotibus adolescere, & tandem in Pronepotibus maturam atq; perfectam etatem consequi. vid. Fritz. de Nobil. §. XXIX. Hipp. à Coll. de Nobil. §. LIX. Besold. Diff. II. §. IX. Bezman. l. c. §. X.

§. XVII.

Harum objectionum priorem ita refellimus: 1) Negando, quod Novi Nobiles, si sunt Nobilitatis principium, non sint nobiles. Si enim sunt principium Nobilitatis, sunt primum Subiectum Nobilitatis; si autem sunt subiectum Nobilitatis, sunt utiq; Nobiles. Subiectum enim Nobilitatis est Nobilis. Ideoq; falso eft, quod Novi Nobiles non tam Nobiles, quam Principium Nobilitatis sint, cum eo ipso, quo sunt Principium Nobilitatis, sint Nobiles. 2) Negando, quod unitas non fit numerus, sed numeri principium. Unitas enim quam

quamvis non sit numerus multiplex, sed hujus Principium; est tamen numerus simplex. Nam unitatis nomen est nomen numeri Cardinale, uti vel ex solis Grammaticis constat.

§. XIX.

Posterior, & in ordine quarta, objectio nihil aliud vult, quam quod Nobilitatis dignitas, ad posteros propagata, perfectam etatem ad perfectum splendorem certe enim non ad perfectam essentiam, que in primo nobilitatis subiecto iam jam est] accipiat; quod non negavimus. Nam perfectior nobilitatis splendor non facit majorē Nobilitatem quoad speciem.

§. XIX.

Secundo & tertio paragrapho nostrae dissertationis, in quibus: utriusque Nobilitatis, tam novae, quam Veteris, eandem causam & fundamentum esse, assertur, objici potest Quinrum & hoc dubium: *Nobilitatis, quæ dignis conferunt, causa & fundamentum interdum est Virtus militaris, interdum alia;* ut: *Prudentia aulica & civilis, ut adeo Veteris Nobilitatis causa, posset esse Virtus militaris; & nova nobilitatis fundamentum esse queat prudentia civilis & aulica;* & sic videatur non unam esse causam, & unum atriusque Nobilitatis fundamentum. Etenim, quam Publicum potissimum semper habuit, est Virtus Militaris non quod aliarum ratio plane non sit habenda, sed quia haec magis ardua est, queque opere sive ipsum propria salutis discrimen addit. Ideo NOBILES MILITES Armigeros, scutiferos, Equites, toties salutare videre est, quia Dignitatem suam plerique militando nocti sunt: Et in Gallia Nobiles Regi nihil tributi pendunt, sed tantum corpore suo ad bellum proficiuntur. Ph. Honor. Pr. Prud. Polit. p. i. Relat. de Franc: p. 131. Sique in plerisque aliis Regionibus usum venit, ut Nobiles cetera immunes Principi in Bello operam presentent. Unde & Feuda Francia, que non oneraata erant, nisi militariibus expeditionibus. His deinde proxime accesserunt Principium officiarum & Ministri extantiores, quos itidem NOBILITATIS privilegii insigniri oportuerunt; Ad Principis Majestatem enim pertinet, ut Domestici eius omnes Dignitate prediti existimantur; cuius rei vestigia in eo restant, quod Nobiles aliquæ familia hediculum, ab ejusmodi officiis denominantur, ut: Marschall / Rüchmeister / Schenck / Druchses / Kellner.

§. XX.

37
294

§. XX.

Huic antithesi sequentem in modum procedimus obviam. Quamvis interdum Veteris Nobilitatis causa possit esse Virtus militaris, & novae Nobilitatis fundamentum, esse queat Prudentia civilis & Aulica; per hoc tamen non evertitur, quod Virtus sit unum illud utriusque Nobilitatis, quæ dignis confertur, fundamentum. Prudentia enim civilis & aulica non potest non esse Virtus.

§. XXI.

Tandem Vita & hæc Antithesis ex præcedd. §. VIImo & IIXmo duci potest: Quicunque creantur Novi Nobiles circa meritum, opibusque defituti sunt dignitati proportionatis, in illis satis cause justè est, ad despiciatum Nove Nobilitatis procreandum. Nam primaria nobilium requisita, ad eorum bene esse, in hujusmodi noviter creatis Nobileibus decēdere, ex supra positis & jam citatis, §. VII. & IIX. satis eluceſcit.

§. XXII.

Hocce dubium brevititer ita dissolvimus: Publicas personas etiam inter non merentes & primariis ad dignitatem sustinendam requisitis (ad eorum bene esse) defitutis, præmia & Nobilitatem distribuere, & ita nobilitandi potestate abuti posse, non nescit, qui profundam ipsarum Clementiam, tūm Majestatem, Rationis status &c. conditionem notit. *Vid. Beccan. l.c. §. VII. in f.* Quoniam itaque etiam illi Nobiles noviter creati, qui factis & opibus se non fecerunt idoneos, justam acquisitione sua Nobilitatis causam allegare possunt; nempe clementiam, Majestatem & Rationem statutis collatoris sui; profecto nefas erit, & hos despiciatū habere. Hinc Imp. Gratian. Valentin. & Theod. Augusti, illum, qui: an aliquis dignitate sibi à principe collatā dignus sit? dubitanſ, hunc forte despiciatur, Sacrilegii quasi reum declararunt, quando ad Symmachum, Praefectum urbi ita rescriperunt: *disputare de Principali iudicio non oportet: Sacrilegium enim inſtar est, dubitare an is dignus sit, quem elegerit Imperator?* I. 3. C. de crimine Sacrileg.

TANTVM.


Jena, Diss., 1702

VD -18

f



56.



12

B.I.G.

Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
Centimetres

19
18
17
16
15
14
13
12
11
10
9
8
7
6
5
4
3
2
1
Inches

Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black

OVOS

ATVI

ichteten

Deute

CVLTATIS

ensi,

J. U. D.

j.

Eisenberg.

RVM,
CII.

LERI.

